QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 1. Decembris.

M. PETRO YON

DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An mulier ætate provecta, cui menstrua dudum defecerunt, gravidari potest?

I.

VIX orta in lucem lapsu præcipiti ruunt in interitum animantia, quorum jacturam ut resarciret natura solers, speciei propagationem certis addixit partibus: ex miro fabricatæ artificio in perfectis animalibus sexum distingunt mare & fœminâ; ita ut ille in eâ, hæc in se generationis absolvat liturgiam nulli animali non gratam, cui si recusas litare naturæ repugnas & Deo. Ad hoc nobilissimum opus venire asymbolum neminem constat: mas humorem album; grandinis in morem glomeratum, spumas agentem, & spirituum ubertate perfusum; his instructum dotibus nullum fœmina suppeditat, sed limpidum, tenuem & aqueum mucum, spirituum & caloris paupertate ita hebetem, ut incautis mulieribus partuum frequentiâ vel doctissimis graviditas sæpè sæpius obrepserit citra ullum titillationis sensum qui percipi amat in aphrodisiâ palæstrâ: utrumque semen si placet appellare; deceptum ex illo multùm, ex hâc nihil aut parùm depromit efficacitatis, quæ compensatur eo etiam sanguine, quem (ubi posita sunt à semine prima rudimenta) pertexendæ, alendæ, & augendæ proli sufficit.

826

II.

HUNC vitij expertem esse suadet suave rubens color, & fontis è quo fluit salubritas, quam si exuerit longo locis in muliebribus situ tragœdias movet corporis plerumque & mentis commotione infames, sic solâ copiâ gravis, vel impenditur in fœtum, vel definitâ periodo singulis ut plurimum mensibus, ducto inde menstrui nomine, tres quatuorve dies sensim defluit; huic si solita intercluditur via, alias & comminiscitur natura, ex alveolo dentis evulsi, vomitione, anacatharsi, aut reseratis venis, quæ ad ani marginem, aut nasi radicem excurrunt, nonnunquam & urinis crassis & subnigris importuno onere expeditura mulierem, quæ integrè sana (subsistente cruentâ illâ colluvie nec aliò traductâ) habere in utero certo certiùs asseverat: tunc retenti seminis & jam expansi in stamina explet rimas & intervalla, fœtumque inchoatum & perfectum alit & amplificat, sed infeliciùs cum sanguis foras affectat viam, donec ille grandior perfractis repagulis iter sibi patefecerit ad vitales auras: at morbo non ita pridem defuncta, effœta quidem, sed vix fœta fiet; si tamen prægnans & extenuata simul alvo contineat, concepti seminis ejectionem aut abortum passura est priùs quam habitudini priscæ reddatur: scilicet exucci & aridi fœtus demensum quo saginetur abripit mulier, quæ ideò si junior, vix audiet mater, quin debitam staturam adepta sit, vel ei quidpiam decedat.

III.

NON te falsa producat sobolis mox affuturæ spes, quoties sanguinis solenni ritu fluxuri motus sistitur: Equidem illa, cujus macies & natura virilis æmula sequioris sexûs longè superat sortem, luculento calore potens, residuum aut cumulat nullum, aut abligurit omne, aut ducit in pilos, aut per patentiores cutis mæandros in auras extenuatum exigit, per uterum nihil. Pariter & quæ lacte dives præbet uber puero lactenti, qui Nectaris suavissimi copiâ insuetum sugendi laborem demulceat, nullo maculabit indusia sanguine, an hinc ad mammas recurrente quo lacte turgeant? Illius secundo circiter per uterum citati primùm, septimo frequentiùs septenario cursus ultimùm intercipitur, ocyùs nonnumquam & seriùs, sanâ adventante & urgente senectute semper; quia longâ an-

norum ſerie attritæ partes ſanguinem cudunt frigidiorem & parciorem vix per ſolita quondam loca rugis nunc & marcore conſidentia ferendum: quiſquis dulces exoptas gnatos, nullo habito cum illis mulieribus commercio, alterius fruere amplexibus, quæ ſi provecta paululum, ſed non decrepitâ ætate, uterum nullo pridem erumpente ſanguine ſordidatum accommodat, te pulchrâ validâque prole parentem beabit.

IV.

AUTUMNUS labens hyemis inſtantis prodromus gratâ vice ridentis diei æquat, imò & ſuperat interdum veris ineuntis ſerenitatem; ita & juvenis fœcunditatem emeritis annis plena & jamjam matura mulier, quæ ſi pingui mollique otio diffluens magnifico apparatu & vitæ cultu cum elegantiâ & copiâ delectetur, lautiſſimiſque menſarum cupediis ſubfarcinatum corpus longo committat morphæo eo luxuriabit ſanguine brevi ceſſuro in generationis opus, & qui oblitus dudùm ſtati circuitûs intùs ſervatur eâ copiâ quæ ſufficiat proli, ad quam edendam inutile eſt ſanè quod aliquando prodierit foras, cum mulierem huic nunquam proluvio mancipatam ſpes gratiſſima poſteritatis etiam conſoletur: ſic nec junior nec ſerior annis eum tenebit inter utramque ætatem modum; ſuperfluum quidem (ut illa) reſervando ſanguinem, ſed (hujus inſtar) non amplius excernendum. At ne coërcitus & de domeſtico factus peregrinus illam malè habeat, ſi eo ad fœtum non utitur, abutitur, & ad adipiſcendum corporis habitum ſolidum & ſucci plenum, qui egregiæ formæ venuſtatem majeſtate conjunctam ita exornat, ut nullius ſibi non devinciat obſervantiæ cultum & amoris ſingularis.

V.

MULIER hæc quæ amoris cauſam præ ſe, ejuſdem, etiam & effectum in ſe ferre poteſt, ad quem nullius eſſe momenti puta quòd ſolitam à pluribus annis viam per uterum inſiſtere deſierit ſanguis, modo ejus quid reſidui abſumatur in fœtum; tunc uxorium penſum ſtrenuè accurando non ludet operam, & potiſſimùm ſi dudùm vidua caruerit viro, cujus deſiderium ut leniat blanditiis pridem inexpertis, nupta iterum jungatur alteri juveni, & pervigili vomere prædium muliebre alacriter revolventi, quo vitam exigat genialem; quamobrem

ferventi ſanguine calentibus venis æſtuante intermiſſa diu venus recoletur ſuaviùs, & voluptatis arcem igne cæco deflagrantem quam blandè mitigabit aliò quondam migrans, eò nunc revocatus ſanguis, qui ſemen utriuſque parentis commodum nactus, eique intertextus fœtum promovebit, alet, augebit & corroborabit ut maturus feliciter excludatur à matre, quæ licet eo graviditatis tempore aliquid ſaginæ depoſuerit, inſtante tamen partu vegeta non implorabit opem Proſæ & Poſtvortæ. Sic quoque & ros ſanguineus motu periodico non ſtillat ex utero brutarum animantium, quæ nihilominus valentes fœtus procreant, ſed priùs libidinis œſtro percitæ, cum copioſus ſanguis latebris abditus morâ factus acrior partes eas fodicat exquiſito donatas ſenſu, donec benefico maris ſemine mitificetur, aliàs nihil moleſtiæ pariturus.

Ergo mulier ætate provecta, cui menſtrua dudum defecerunt, gravidari poteſt.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Philippus Mathon.

M. Raymundus Finot.

M. Robertus Raoult.

M. Mattheus Thuillier, Scholarum Profeſſor.

M. Ioannes Baptiſta Ferrand.

M. Carolus Marteau, rei Herbariæ Profeſſor.

M. Claudius Guerin.

M. Petrus Yvelin, Medicus Regis ordinarius & Sereniſſimæ Aurelianenſium Duciſſæ Medicus primarius.

M. Mathurinus Denyau, Profeſſor Regius.

Proponebat Lutetiæ RENATUS CHAUVEL Cœnomanenſis, A.R.S.H. MDCLXXII.

PARISIIS,

Ex Typographiâ FRANCISCI MUGUET, Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Typographi, viâ Citharæ.